





Q. D. B. V.  
DISSE<sup>2</sup>RAT<sup>T</sup>O INAU<sup>G</sup>URALIS MEDICA  
DE  
**VOMITU CRUENTO**

QUAM.  
*DEO TRIUNO PRÆSIDE*  
EX DECRETO  
GRATIOSI ORDINIS ASCLEPIADEI  
IN ALMA ARGENTORATENSIMUM  
UNIVERSITATE  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CAPESSENDI  
SOLENNI DISQUISITIONI EXPONET  
**LEONARDUS EDEL,**  
FOLCKLINGENSIS LOTHARINGUS.

---

*AD DIEM XXXI. AUGUSTI, ANNO MDCCXLII.*

H. L. Q. C.

---

*ARGENTORATI,  
Ex Typographia PAUSCHINGERIANA.*

DEO  
TRIUNI.



## §. I.

**D**E Vomitu cruento tractaturi , ante omnia breviter dicemus , eundem etiam appellari Vomitum sanguineum seu Sanguinis ; aut juxta alios Morbum sive Vomitum nigrum ; an vero proprie, celeberr. quondam hujus urbis Praticus, D. D. de HASSELT, (a) olim jam explicuit. Nostratibus dici solet der Blutsturk, aut quod melius das Blutbrechen , Gallis Vomissement de Sang.

## §. II.

Est autem Vomitus cruentus Sanguinis vel sineri sive fluidi, vel ut plurimum grumosi, ex Ventriculo per os ejectio, vomitu , i. e. ope motus peristaltici inversi contingens; postquam è vasis ventriculum perreptantibus, præter naturam in hujus cavitatem , sub motibus præsertim spasticis, protritus erat.

## §. III.

Ex his ergo statim elucet, cruentam hanc per

A 2  
os

(a) In Differt. sua inaugural. de Vomitu cruento, §. III, pag. 6.

os ejectionem quam maxime differre ab Hæmoptysi, in qua quidem eriam sanguis, sed spumosus magis, tenuis, arteriosus (b) rubicundus ac floridus, cum tussi quadam, ac tenaci nonnunquam muco permixtus, rejicitur. Per Vomitum vero cruentum excernitur sanguis magis venosus, plerumque crassus, atro-ruffescens & coagulatus, sub anxio vomendi conamine, id quod sine ulla tussi contingit.

## §. IV.

Difserit etiam hic Vomitus inter se, & quidem

1) Ratione causarum praecedentium; juxta quas alius est violentus, qui ortum ducit (c) à causis violentis & externis, e.g. Venenis, Vomitorii, Purgantibus drafticis, Corrosivis, aut aliis ab extra allatis, qui quò fortior fuerit, èo periculosior esse solet. Alius vero spontaneus; qui sponte, à causis internis producitur, absque nulla externa violentia, vel corpori in genere, vel ventriculo in specie, illata.

2) Ratione invasionis seu temporis; cuius respettu est vel rarus, qui una vel altera tantum vice hominem aggreditur; ut id saepius contingit mulieribus, et ratem cessationis mensium congruam attingentibus: vel frequens (d) & periodicus, qui saepius recurrat; id quod sit (e) vel quotidie, (f) vel singulis mensibus

aut

(b) JVNCKER. Conspect. Med. Theoret. Pract. Tab. VIII, pag. 43.

(c) JVNCKER. Libr. citat. Tab. IX. pag. 52.

(d) SALMUTH. Observat. Cent. II. Observ. 3.

(e) De Vomitu oruendo quotidiano Et samen innoxio, vid. EPH. NAT. CVR. Dec. I. Ann. X. Observ. 6.

(f) de Vomitu sanguinis menstruo, vid. STAHL. Patholog. p. 154;

aut annis ; qualem e. g. expertus est VOLUSIUS, qui tamen nihilominus eo durante ætatem 94. annorum, teste PLINIO (g), affecitus est.

3) Ratione eventus ; juxta quem alias est salutaris , qui varios morbos , v. g. malum spleneticum ,(h) tumoresque hypochondriorum &c. aufert : alias vero morbosus & lethalis , qui diversos morbos , e. g. Amaurosin , Hecticam , & similes post se dicit affectus.

## §. V.

Quod nunc Subiecta attinet Vomitūs cruenti , bene rursus distinguendum est inter vomitum cruentum violentum , atque spontaneum. Violenti namque subiecta constitueri possunt cujuscunque conditionis, sexus, atque ætatis personæ ; cum enim uti ex ſpho antecedenti patet , orrum ille ducat à variis externis injuriis , vel corpori , vel in specie ventriculo , illatis , à quibus nullus mortaliūm immunis esse potest , hinc facillime patet , effectum hunc à subjectorum diversitate nequaquam dependere.

Spontanei vero subiecta semper sunt foeminae præ viris , & quidem illæ præcipue , (i) quæ sunt animi agilioris , status plethorici , temperamenti fanguineo-cholerici , aut etiam cholericō-melancholici ; (k) nec non eæ , quæ alvi sunt adstrictioris , mensium-

A 3

que

(g) PLINIVS , Histor. natur. Lib. I. Cap. 28.

(h) Idem PLINIVS , loc. cit.

(i) JVNCKER , Conſpect. Med. Theoret. Pract. Tab. IX. pag. 59.

(k) HOFFMANN . Med. Rational. Systemat. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. III. §. VI. pag. 69,

que ataxia, vel plenaria eorundem suppressione, aut justo citiori ac subitanea cessatione laborant. Quodsi autem viris affectus hic obtingit, tunc illi plerumque sunt (1) Hypochondriaci, talesque inprimis, quibus Hæmorhoides rite (m) antea fluentes vel emanferunt, vel plane suppressi fuerunt, qui exinde postmodum congettiones varias, spasticosque affectus, in primis autem dolores prementes & pungentes (n) in sinistro potissimum hypochondrio experiri sunt. Scorbutici porro & Splenetici, Quartanarii, ut & illi, qui venefectiones in pede affuetas intermisferunt, quin imo, teste ETTMÜLLERO, illi, quibus ulceræ antiquæ consolidaatae fuerunt, vomitum cruentum subinde experientur. Neque minus Gravidæ (o) seu prægnantes, plethoricæ scilicet, missione mque sanguinis intermitentes, Vomitu nonnunquam cruento infestantur; præsertim (p) quando circa medium gestationis tempus ventriculus ipsis crebrius fuit subversus; quia tamen rejectus earundem sanguis parcus est ac tenuis, HOFFMANNO magis verosimile videatur, eundem non ex ipsis stomachi vasis provenire, sed potius ex subtilissimis arteriolarum surculis, in œsophago atque faucibus conspicuis; eapropter etiam talis prægnantium vomitus perraro sinistri est eventus. In Parturientibus etiam quandoque vomitus cruentus observatus fuit; ut &, quamvis in pueris

(1) COSCHWITZ, Organ. & Mechanism. Patholog. Part. II. Sect. I. Cap. III. §. XIII. p. 19.

(m) HOFFMANN. Med. Rational. Systemat. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. III. §. XI. pag. 69.

(n) JVNCKER. Conspic. Med. Theoret. Pract. Tab. IX. pag. 53.

(o) BARTHOLIN. Anatomicar. Histor. Cent. I. Hist. 19.

(p) HOFFM. Med. Rational. Syst. Tom. IV. Part. II, Sect. I. Cap. III. §. IX. pag. 69.

ris semper (q) sit rarer, in puerulis (r) tamen re-  
cens natis nonnunquam animadversus.

### §. VI.

Subjectum tandem speciale sive pars affecta hu-  
jus morbi est Ventriculus, cum vasculis sanguiferis  
eundem perreptantibus; qui sanguinem extravasatum  
in cavitatem suam excipit, ita tamen, ut quando-  
que (s) in consortium mali, seu sedes causae mor-  
bificæ, veniat & ipse Lien, aut juxta nonnullos, (t)  
quamvis impropre, Hepar. Veritatem hujus asserti  
monstrant apertè sectiones cadaverum hoc morbo  
defunctorum, in quorum ventriculi cavo semper ad-  
huc reperitur sanguis ibidem collectus & extravasa-  
tus. Lien etiam talibus subjectis semper fere san-  
guine tumidus, infarctus, & quandoque plane in-  
duratus deprehenditur; unde fit, quod (u) tales ho-  
mines interdum sentiant in hypochondrio sinistro pul-  
sationes, quandoque vero tumorem satis magnum.  
Vasa brevia insuper hisce in ægrotis, quae in super-  
na & sinistra ventriculi parte excurrunt, ibidemque  
admodum tenerâ membranâ teguntur, semper vari-  
cosa, & nigro sanguine distenta (x) cernuntur, alte-  
ratâ

(q) Idem HOFFMANN, l. c. §. X. pag. 69.

(r) EPH. NAT. CVR. Vol. IV. Observ. 28. pag. 107.

(s) HOFFM. Med. Rat. Syst. Tom. VI. Part. II. Sect. I. Cap. III.  
§. III. pag. 67.

(t) HASSELT. in Dissert. de Vomitu cruento, §. VII. pag. 8.

(u) SCHENCKUS, in Observ. Lib. III. Observ. I.

(x) Sic RIOLAN. Anthropolog. Lib. II. Cap. 17. *Vas breve  
minimo digito latum, in refectione sanguinis per superiora &  
inferiora deprehendit.* Conf. etiam WEDEL. in Physiol.  
reformata Et COLVMB. Rerum Anatomicar. Lib. XV. de  
Cardinali CIBO.

rata simul ibi ventriculi substantia; unde etiam nonnulli Vasa haecce brevia (y) pro vera mali hujus sede unice venditarunt. Quamvis autem, uti mox dictum, Vomitus cruentus frequentissime ortum suum trahat à Liene Vasisque brevibus, eapropter tamen Authores haud plane (z) excludi voluerunt Hepar, quippe quod per vasa è Vena Portæ prodeuntia itidem connexionem habet cum ventriculo; hinc in hypochondrio dextro interdum simul adest (a) & dolor & tumor, & Hepar scirrhosum invenitur. Dicta hæc præ-primis intelligenda sunt de Vomitu cruento spontaneo.

Quod vero Vomitum sanguinis violentum attinget, dubium nequam est sanguinem ex aliis quoque œsophagi & ventriculi vasibus erumpere posse; dum scilicet à violentia quadam extrema diversimode laedi, vel ab assumptis Causticis, Venenis, Purgantibus &c. erodi possunt. Quod eo certius factum fuisse concludendum, (b) si dolor stomachi præcesserit acutus, atque materia, quæ vomitu rejicitur, cruenta, nigra (c) & simul acida, dentes stupefaciens, fauces & os adurens, & pavimento injecta (d) ebulliens, exstiterit. Huc etiam referri possunt illæ species Vomitus cruenti, quæ mox ab (e) hausta Hirudine, vel Aceri potu, (f) fortiori Vociferatione,

(y) *TILLINGIUS*, in suo peculiari Tractatu, *de Vasa brevi Liensi*.

(z) *HASSELT*, in Dissert, de Vomitu cruento, §. VII, pag. 8.

(a) *ETTMULLER*. in Oper. omn. Tom. II. pag. 95.

(b) *HOFFM*, Med. Rat. Syst. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. III, §. IV.

(c) *de Vomitu sanguinis grumoso* & picis instar nigri, confer PLATER. Observ. Lib. III. pag. 74<sup>o</sup>.

(d) *HIPPOCRAT*. Descript. de Morb, Lib. II. §. 71.

(e) *RIVERIVS*. in Observ. Cent. IV. Observ. 26.

(f) *EPH. NAT. CVR*, Dec. III. An. I. Observ. 139.

tione, ex (g) Lumbricis, (h) Scirrho ventriculi,  
 (\*) Lieneque compresso exortæ fuerunt.

### §. VII.

Pergimus nunc ad causas Vomitus nostri cruenti, quæ si Medico bene sunt perspectæ, haud parvum, ad solidam & securam curationem absolvendam eidem lumen præbent. Diximus vero supra Vomitum hunc vel esse violentum vel spontaneum; quilibet ergo corundem peculiares agnoscit proventus sui causas.

Violentus itaque pro causa sua antecedente varias externas & internas habet injurias atque vio-  
 lencias. Hæ enim dum corpori vel extrinsecus in-  
 feruntur, veluti sunt Contusiones, Ictus, Compressio-  
 nes, Plagæ, Casusque ab alto in ventriculi, abdominis,  
 hypochondriorumque regiones, vel interne oriun-  
 tur, continuitatem vasorum ventriculi solvunt,  
 prout hoc fit vel ab assumptione Causticorum, Cor-  
 rosivorum, Vomitoriorum drasticorum, &c. quæ  
 omnia Sanguinis effluxui & Vomitui cruento occa-  
 sionem præbent.

### §. VIII.

Spontaneus vero Vomitus cruentus à variis etiam  
 causis ortum suum habere potest; inter quas aliae  
 sunt proximiores, aliae remotiores seu antecedentes,  
 aliæque tandem occasioales sive procatarcticæ.

B

### §. IX.

(g) EPH. NAT. CVR. Dec. II. An. II. Observ. 7*i*

(h) EPH. NAT. CVR. Cent. IX. & X. Observat. 6, in Append.

(\*) EPH. NAT. CVR. Cent. IX. & X. pag. 26*j*.

( 10 )

§. IX.

Proxima Vomitus cruenti spontanei causa (i) est disruptio aliqua vel vasorum brevium , vel aliorum, ventriculum perreptantium.

Propior vero hujus Vomitus causa est sanguis, quantitate vel qualitate peccans, nec non excretionum sanguinarum, per inferiora aliás solemnium, vel imminutio , vel plenaria suppressio , ad quas in Viris sanguinis hæmorrhoidalis , in Fœminis vero menstrualis ac lochialis excretio spectat : hæc enim suppressiones dum ordinarie pro causa sua agnoscunt , vel sanguinis crasim alteratam, vel tunicarum intestini recti, aut substantiæ uterinæ constrictiōnem spasticā , liberiorem excretionis sanguineæ antea solita progressum impudentem, regurgitationi sanguinis, consuetum suum transitum hic non invenientis , ad partes varias , quibus Vena portæ suos impertit ramos, an-sam præbent ; unde non possunt non sequi varia incommoda , partim in abdomen, partim in hypochondriis , partim in ventriculo obvia ; dum enim sanguis parietes horum partium , eorumque vasorum nimium extendit , & nervolorum simul tubulos comprimir , cardialgiæ variae , pressiones ventriculi atque hypochondriorum , anxietates saepius recrudescentes , exinde exoriri solent, quæ symptomata tamdiu non raro perdurant, donec à causis illis agentibus internis vas quoddam aperiatur, siveque languis in illo , aut partibus vicinis stagnans in ventriculum effundatur , qui postea quandoque per reperitas stricturas , vel sinceras ac fluidus , vel grumosus , atro-ruffescens , imò niger-

---

(i) JVNCKER. Conspect. Med. Theoret. Pract. Tab. IX. pag. 14.

nigerrimus, vel purus ac solus, vel cum cibo & potu,  
vel cum (\*) bile remixtus, magno cum nisu per supe-  
riora ejicitur.

## §. X.

Ad causas remotiores occasioales seu proca-  
tarcticas pertinent repentinæ viscissitudines aëris,  
præfertim vero partium inferiorum, pedum scilicet  
& abdominis, refrigerationes positivæ, tempore flu-  
entium mensium vel haemorrhoidum perpeſſæ; nec  
non cibi austeri, acidi, adſtrigentes, aut concoctu  
difficiles, aromatici, ſaliti; ut & potus achtu frigidi,  
acidi, ſpirituosi &c. qui omnes, (k) craci humorum  
alterandæ vel ſpissitudini producendæ, apti ſunt.  
Huc ſpectant quoque exæſtuationes corporis nimiaæ,  
labores ac exercitationes infuetæ: cursus, faltus, mo-  
tusque intempeſtivi, clamores ac (l) vociferationes  
vehementes; & ex animi pathematibus præfertim  
ira, quæ omnia Maſſæ ſanguineæ commovendæ at-  
que exagitandæ quam maximè inserviunt.

## §. XI.

Signa hunc effectum manifestantia ſunt vel an-  
tecedentia, vel concomitantia. Antecedentia ſunt  
graves (m) præcordiorum anxieties, cum maximâ

B 2

quan-

(\*) De Vomitu cruento nigerrimo & copioſiſimo, Hypochondriacis  
cuſuſdam, cum deſtinctione ſimul Bilis arra intermixta, vtd.  
RHODIVS, Cent. II. Obs. 65.

(k) SACHSIVS, in Diſſertatione de Vomitu cruento, pag. 16.

(l) EPH. NAT. CVR, Dec. III. Ann. I. Obſerv. 139.

(m) HOFFM. Med. Rat. Syst. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. III.

§. II, pag. 67.

quandoque spirandi difficultate , tensivis & valde gravatis , (n) suspiriosisque pressionibus conjunctæ ; dolores porro punctioni ac spastici , in sinistro potissimum hypochondrio , ut & quandoque in dextro , per intervalla sensibiles , quibus non raro pulsationis sensus mox obscurus , mox admodum lancinans , jungitur . Concomitantia vero signa sunt varia pathemata hypochondriaco-hysterica , anxiæ constrictiones pectoris spasmodicæ , borborygmi , ruetus , phlogosæ faciei & totius corporis pallor , quibus sensim accedit excretio salivæ copiosior , (o) inque fauces & oris cavitatem frequentior , vomendique conarus fortior ; quæ tandem veri sanguinis ejactio sequitur , tantâ quandoque vehementiâ contingens , ut cum vertigine , lipothymia & deliriis conjunctus observetur , (p) quem vero nonnunquam vomitoria rejeccio ciborum antecedit . Haec autem scena tamdiu luditur , donec hostis plenarie ejectus fuerit , quo peracto atque finito , omnia fiunt tranquilliora .

### §. XII.

Enarratis nunc Vomitus cruenti signis , ratio instituti postulat , ut jam ad Prognosin ipsius transgressum faciamus . In hac autem bene semper examinandum , an talis Vomitus sit violentus , an spontaneus ? Violentus , sive ab injuriis externis progenitus , semper pejoris est indolis præ spontaneo , nunquam enim hic salutaris , sed semper fere periculosus existit . Spontaneus

(n) JVNCER , Conspect. Med. Theoret. Pract. Tab. IX. pag. 52.

(o) SACHSIVS , in Dissert. cit. Cap. III. pag. 12.

(p) JVNCER , loc. cit. Tab. IX. pag. 52. in fine.

taneus econtra, nisi febrem simul acutam junctam habeat, aut quantitate excedat, aut in consuetudinem quasi degeneret, minus noxious, sed interdum potius (q) proficuus existit: sanat enim quandoque(\*) Malum spleneticum, solvit Infarctum lienis, curat Quartanam, imo in praegnantibus plethoricis (r) Abortum quadantenus praecavet. Altero vero res se habet, si (s) febris jungitur; si languis corruptus, graveolens, & niger prodit; si ex magno & corrupto liene, vel indurato hepate proficiuntur; si & huic Vomitui nigra & pici similis, eaque graveolens alvi (t) dejectio, animique tandem defectio coniuncta est; tunc enim summum plerumque periculum, mortemque proximam (u) jam portatur.

B 3 tendit.

(q) *RHODIUS*, Cent. II. Observ. 64. *GREGOR. HORSTIVS*, Lib. IV. Obs. 5.

(\*) *ZACVT. LVSITAN.* Med. Princ. Histor. Lib. II. Hist. X. p. 187.

(r) *BARTHOLIN.* Histor. Anat. Cent. I. Hist. 19. Facit & hoc assertum *HIPPOCRATIS*; Sterilibus sanguinis somitum ad concipendum urilem esse; immunitur enim eodem nimia sanguis quantitas, embryoni maximopere molestia, ipsunque ante tempus, cum hemorrhagia uterina, mediane labore expellens.

(s) *HOFFM.* Med. Rat. Syst. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. III. §. XV. pag. 71.

(t) Hic optimè meretur observari illud, quod illustris *HOFFM.* loc. cit. §. XIX. pag. 72. scribit: *Materia illa nigricans, qua sic per alvum exit, solet esse fætidissima, quia sanguis effusus, cum percorribus in calo infestinorum quasi consermentatus, exaltato principio & reo aculino, in fastidiam abit purulaginem.* Quia, quia infestissima fluidi nervorum natura, hinc mox cito vires deprimit, & vitales in corpore mortis defruunt. Atque aeo summa, qua se morbo huic perpetuo jungitur virium dejectione, non adeo ex nimia sanguinis profusione ejusque natura, sed potius ex ipsius corruptione putrida est derivandæ.

(u) *HIPPOCRATES*, Sect. VI. Aphorism. 37.

rendit. Idem etiam valet, si sanguis floridus (x) a<sup>vo</sup> n<sup>a</sup>t<sup>a</sup> rejicitur; qui sanguis dein, teste (y) HOFFMANNO, vel sic purus & floridus, vel putrefactus & nigricans, non immediate ex Ventriculi vasis proficiuntur, nec a sanguine in Stomachi cavo extravasato, sed potius ex alio viscere, vel intestino potissimum ileo, ruptis scilicet in ipso, tenuissimâ tunicâ testis, vasis melsaraicis. Facillimo postea negotio Vomitus hic reerudescit in Viris, (a) præcipue circa tempora æquinoctii, ut & in Fœminis, circa tempus eruptionis (b) menstruorum, ubi postea ut plurimum periodis his assuefecit. Et licet plerumque in Fœminis brevius duret, quam in Viris, illas tamen majore semper imperu, præ his, invadit. Si præterea hic vomitus repente supprimitur, non solummodo quandoque (c) in dejectionem alvinam cruxis nigricantis & fere picei convertitur, sed & graves communiter (d) spasticorum moliminum exacerbationes post se ducit; imo non nunquam causa existit repentinæ mortis; aut ad minimum (e) Oedemata, Hæticam, Hydropem, (f) Colicam convulsivam, Pathemata hypochondriaco-hysterica, Anxiates præcordiorum, Cephalalgiam, (ff) Amaurosin

(x) JVNCKER. Conspect. Med. Theor. Pract. Tab. IX.  
pag. 14. FOREST. Observat. Lib. XVI, Observ. 24.

(y) In Med. Rat. Syst. Tomo citato, §. XVII, pag. 71.

(a) JVNCKER. loc. cit. pag. 55.

(b) HOFFM. Med. Rad. Syst. Sect. I. Cap. III. Observat. V.  
pag. 82. EPH. NAT. CVR. Dec. I. Ann. I. Obs. 95.

(c) EPH. NAT. CVR. Dec. I. Ann. X. Observ. 20.

(d) STAHL. Theor. Med. de Vomitu cruento.

(e) JVNCKER. loc. cit. pag. 55. §. 8.

(f) NENTER. Fundament. Med. Theor. Pract. Tom. I. Part. II.  
Tab. XI. pag. 30. circa finem.

(ff) EPH. NAT. CVR. Volum. II. Obs. 52. pag. 96.

rofin, & similes morbos producit. Quodsi vero Vomiti sanguineo in sexu sequiori superveniunt Menses, aut in sexu potiori Hæmorrhoides, tunc tales evacuationes sanguineæ salutem afferunt affectui plerumque (\* ) certissimam.

### S. XIII.

Restat adhuc cura Morbi hujus atrocis expli-canda , in qua certe Medicus circumspete semper ac prudenter, pro diversitate corporum atque causarum, sepe gerere debet. Etenim alia medendi ratio est in Vomitū cruento violento , alia in Spontaeno alia in paroxysmo, alia extra paroxysmum, alia ubi malum hoc à sola sanguinis abundantia & orgasmō, placide & critice quasi provenit , alia quando dolores & spasmi fortiores conjuncti sunt, alia tandem, si Vomitus hic ab obstruēto aut corrupto quodam viscere inducitur.

### §. XIV.

In Vomitū Cruento violento ergo , ubi vel à venenofis , acribus , corrosivis , aut acidis assumptis , vasa ventriculi fortius irritantur & eroduntur , sanguis que exinde evomirur , ante omnia eò respiciendum , ut causa hæc caustica , irritans & vellicans temperetur ac involvatur, aut simul removeatur. Huc itaque pertinent remedia acrimoniam rodentem temperantia, (g) pul-

(\*) ETTMULLER. Oper. omn. Tom. II. pag. 96.

(g) HOFFMANN. Med. Rat. Syst. Tom. IV. Part. II. Sect. I. Cap. III. §. X. pag. 75.

pulveres scilicet absorbentes Vreo-alcalini , ut & laetitia atque oleaginosa, majore in quantitate assumpta; quibus remediis lac cum amylo coctum , & ab HOFFMANNO commendatum, demulcendi & consolidandi scopo, præprimis annumerandum est.

### §. XV.

In Vomitu Cruento spontaneo verò alia cura in paroxysmo , alia extra eundem instituenda venit.

In paroxysmo itaque rursus ad causas hujus affectus attendendum est Medico ; quamobrem , si Vomitus à sanguinis nimia abundantia ortus , & sanguinis motus ab exterioribus ad interiora convertitus fuerit, tunc præ aliis conductus Venæsecchio , quam (h) NENTERUS , revulsionis gratiâ, in pede, (i) HOFFMANNUS è contra in brachio instituendam esse docet , quorum hic forsan solam evacuationem , ille vero simul revulsionem sanguinis intendit. Circa quam porro monendum est, tantum sanguinis hic educendum esse, quantum morbi magnitudo , vasorum repletio , ætatis ratio , aliaque symptomata postulant , viresque ægrotantis permittunt ; imò melius esse , in defectu quam in excessu peccare , & repetitis potius vicibus eandem instituere : dum detracta nimia quantitate egregius vitæ sanitatisque thesaurus non tam cito ac facile reparatur.

### §. XVI.

(h) In Fundam. Med. Theor. Pract. Tom. I. Part. II. Tab. XI. pag. 31, No. 3.

(i) In Med. Rat. Syst. loc. cit. §. II. pag. 73. Hanc V. S. in brachio præterea etiam laudat HIPPOCRATES , Lib. II. de Morbis , Sect. V.

( 17 )

§. XVI.

Si vero Vomitus cruentus simul ab orgastica quadam sanguinis commotione suscitatur, quod ex pulsu impetuoso, valido, frequenti ac celeri cognoscitur; tunc imprimis praescribenda sunt remedia ①sa, temperantia, absorbentia, antispasmodica, ac cinnabrina; v. g.

- R. Conch. ppt.  
Corall. rubr. ppt.  
♀ri ①lat.  
①tri depurat. ana 3j.  
♂ris ♀ii ②j.

M. f. ♀. divid. in xiii. pt. æq. divis. d. ad chart. S. Pulver davon alle 2. bis 3. Stund 1. Briefflein voll zu nehmen.

Quod si his Vomitus obedire recusaverit, tunc in parca dosi, i. e. aliquot tantum grana MPil. de Cynogloss. hisce pulveribus addi, aut ad mentem illustris HOFFMANNI (k) sequens praescribi poterit:

- R. Aq. planrag. 1b. j.  
①ri purificat. 3j.  
Syrup. papav. rhead. 3v. j.

M. ad XX. S. Bisweilen einen Löffel voll zu geben.

Hæc quippe potio refrigerans non solum motum partium ♀rearum elasticum intra vaſa componit, sed & relaxata simul vascorum apertorum orificia

C

ita

---

(k) HOFFMANN, loc. cit. §. III. pag. 73.

( 18 )

ita firmat & roboret, ut dein eò facilius coëant, iterumque coalescant. Alii etiam in enormi cruxis profusione Ligaturas extremorum artuum suadent, quæ tamen circumspete rursus solvendæ. Ingens insuper Vomitus cruentus, brumali aliquando tempore, (1) gelidissimis potionibus fuit curatus, quæ cura vero minus tuta: potius suadendum esse duco, ut manus atque pedes ad malleos usque aquæ immittantur frigide, quod videlicet sanguis in subtilissimis vasculis diutius detineatur, sicque ejusdem ad cor refluxus aliquantis per retardetur.

### §. XVII.

In Vomitu porro cruento, à spasticis vellicatiōnibus progenito, præter antedicta antispasmodica, ♂sa atque ♀trina, etiam Emulsiones, ex seminib. quatuor frigidis majoribus, cum ∇is convenientibus paratae, convenientiunt. v. g.

¶. Semin. 4. frigid. maj.  
Violar. ana. 3j.

∇. Flor. Til.  
Pœon.  
Lilior. conval. ana. 3ij.

f. l. a. Emulf. Colatur. adde  
Dent. Hippopot. ppt. 3ij.  
♀ri depurat. 3j.  
Syrup. papav. alb. 3*b*.

M. d. ad XX. S. Löffels weise zu geben.

Præter

---

(1) EPH. NAT. CUR. Vol. m, III, Obs. 61, pag. 194, sq.

Præter hæc (m) ad intestinorum spasmos laxandos, divertendumque imperuosum humorum ad Ventriculum affluxum, subinde quoque desideratum levamen attulerunt Clysmata demulcentia ac emollientia, stimulo tamen Oso aliquatenus instructa, ac frequenter injecta. Externè verò ad spasmum sistendum, & ventriculum roborandum, sequens usu comprobatum est:

R. Camphor. ʒj. solv. in  
oo Amyd. dulc. ʒj. add.  
Lign. Rhod. ʒj.

M. d. ad XX. S. Den Magen und die lincke Weishe öfters damit einzuschmieren, und alsdann folgendes, in rohem Wein gekochtes und wieder ausgedrucktes Kräuter-Säcklein, wohl warm darüber zu legen.

R. Herb. Menth.  
Summit. Absynth.  
Flor. Chamom. ana Mj.  
Sambuc. Mf.

Incis. & contus. includantur duobus Saccul. ex Sindon. r. confect. d. ad chart. pro usu.

### §. XVIII.

Sæpiissime etiam accidit, Vomitum sanguinis spontaneum ortum suum sumere ex obstruēto aut corrupto quodam viscere, v.g. (n) Hepate scirrhoso,  
C 2 (o)

(m) HOFFMANN, Med. Rat. Syst. loc. cit. §. V. pag. 73, & 74.

(n) HORSTIUS, Obstriv. singul. Part. II. Lib. VI. Obs. 3.

(o) Lieneve obstructo, aut etiam vel (p) à Menstruis, vel ab Hæmorrhoidibus suppressis. Quodsi itaque Menstruum suppressio in causa fuerit, congrua methodo illa tollenda erit: teste enim **HIPPOTRATE**, *Mulieris sanguinem vomenti, menstruis erumpentibus, mali fit solutio.* Si & Hæmorrhoides in culpa extiterint, legitima methodo erunt provocandæ, ubi tamen maxime cavendum, (q) ne in provocatione harum evacuationum, fortiora pellentia adhibeantur, quia his facile cruentus ille vomitus invitatur. Ante omnia idcirco Vena secanda est in pede, aut in sexu virili Hirudines ano sunt applicandæ, dein convenientia injicienda sunt Clysmata, ac temperatissima interponenda & subjungenda Emmenagogæ; quod specialius ex Authoribus practicis, de hoc defectu agentibus, reperi poterit.

## §. XIX.

Specialiter autem hic notandum esse existimo, quod si à talibus mensibus aut hæmorrhoidibus suppressis Vomitus cruentus quasi critice, maximo cum ægrotantium levamine, contigerit; uti ex Observationibus variis, hinc & inde etiam à nobis ciratis, sufficienter constat, in tali casu, nulla (r) unquam Adstringentia aut Opiata æ rotantibus concedenda aut praefcribenda

(o) **BLANCARD**. Anatom. Pract. Cent. II. Obs. 47.

(p) **EPH. NAT. CUR.** Decur. I. An. VI. Obs. 49, & An. X. Obs. 20;

(q) **JVNCKER**. Confpect. Med. Theoret. Pract. Tab. IX.

pag. 57. lin. ultim.

(r) **HOFFMANN**, Med. Rat. Syst. Tom. IV. Part. II. Sect. I.  
Cap. III, §. XI. & XII, pag. 25.

benda esse : Sensibiles enim (s) ac spongiosi Hydropem , macilenti autem Hecticam , facile exinde incurunt . Verum enim vero nulla regula sine exceptione est ; hinc si Vomitus cruentus , à quaunque demum causa exortus : tutionibus ac lenioribus cedere nollet remediis , periculumque sic in mora esset , tunc illud HIPPOCRATIS locum hic habebit : In magnis scilicet morbis , magna etiam adhibenda esse remedia , i. e. specificā virtute prædicta . Quo in casu nonnulli laudant Millefolium & Adianthus album tanquam lenissima Adstringentia , vel in Infuso , vel Essentia propinata , quibus , si necessitas tulerit , & Vomito sanguinea pertinacius continuaverit , etiam alia Subadstringentia ac Anodynā sociari possunt ; v.g. R̄a Corall. R̄a. ∇ræ Catechu , R̄a. ♂tis Ludov. Eff. Cascaril. Species de Hyacintho , Confect. de Hyac. Lapis Manati , Corall. rubr. Croc. ♂tis ♂ iarus Stahlii , MPil. de Cynoglossa , Theriaca cœlestis , &c.

In specie autem (t) NENTER sequens laudat Decoctum subadstringens , quod fœminæ cuidam , irritis omnibus aliis , profuisse docet :

R̄k. Rad. Symphyt.

Tormentill. ana. 3vj.

Herb. Heder. ∇str.

Virg. ♂r.

Millefol. ana. Mj.

Flor. Balaust.

Ros. rubr. ana. p. ij.

C 3

Coq.

(s) JVNCER. loc. cit. pag. 58. §. 4.

(t) NENTER. Fu. d. Med. Theoret. Pract. Tom. I. Part. II. Tab. XI. pag. 33.

Coq. in  $\nabla$  simpl. ibij. ad remanentiam ibij.

Colatur. add.

Syrup. è Ros. sicc.

Papav. rhœod. ana. ȝij.

M. pro usu. Singulis nimirum horis aliquot unciae  
calidæ sunt hauriendæ.

## §. XX.

Extra Paroxysmum denique , & cessante Vomitu, si quid sanguinis congrumati in ventriculo restitare suspicio est , lene laxans Rhabarbarinum subiungere non inconsultum erit , & quidem vel Rhabar. solum , vel cum Lap. ȝ. resolvendi scopo , remixtum. Fugienda è contra in hoc malo maximoperè sunt Aloetica, Resinosâ , & Colocynthiaca : quia massam sanguineam denuò in orgasticum motum ciere , sicque novam sanguinis evomitionem provocare valent. Eadem etiam de Vomitoris , motuque fortiore , plethoram commovente , dicta sunt. Posthæc Ventriculus roboretur per Ram quandam Martialem , qualis est Ra Oli ȝtis. Ludovici ritè parata. Ad præcavendam Recidivam , in cholericis ac macilentis , circa æquinoctia instituatur Venæsecțio in pede ; in sanguineis autem ac spongiosis, præsertim assuetis , Scærificationes infimarum partium celebrentur. Hirudinum etiam applicationes , in Hæmorrhoidariis præcipue , non sunt respuendae ; imo omnia leniora medicamenta , fluxum mensium ac hæmorrhoidum placide promoventia , hisce in subiectis , prophylactico scopo , summi sunt momenti , inter quæ certe

te non ultimum sibi vendicant locum Pilulæ & BEC-  
CHERIANÆ & STAHLIANÆ.

## §. XXI.

Ultimo denique loco Fons Diæteticus adhuc sufficeret , qui ad radicalem Vomitus cruenti curatiōnem non leve nec ultimum confert momentum. In hoc quippe affectu ægroti exiguum profectō , imo nullum , ex hac tenus præscriptis remedii percepturi essent fructū , nisi vitæ , diætæ , viætusque accuratissimam observare vellent rationem. Quapropter ipsis , durante paroxysmo , serio commendandum , ut in leni semper permaneant transpiratione , quod liberiorem sanguinis circuitum sibi concilient. Ju sculis præterea avenaceis , hordeaceis , lenibusque aliis , herbis quandoque vulnerariis alteratis , potu que simpliciori , nunquam non contenti sint.

Abstinendum ē contra ipsis est à fructibus horæis , leguminibus , cibis dyspeptis , aromatisatis , fælitatis , fumoque induratis ; ut & à vino , spirituosis que cunctis . Ratio etiam aliquarum rerum non naturalium ipsis habenda est ; hinc Aërem eligant temperatum ac purum , non nimis calidum , nec frigidum , multo minus nebulosum , aut exhalationibus variis inquinatum . Excreta & Rerenta præterea , Motum & Quietem , Somnum & Vigilias , juxta medocritatis regulas observent . Et cum nihil perniciösius sit Animi pathematibus fortioribus , irâ imprimis , furore , tristitia , atque terrore : quia humores vel inspissando , vel commovendo , novo

Vomi-

Vomitū cruenti recursui ansam præbent; hinc se-  
riò hæc omnia evitent.

Atque hæc sunt, quæ pro ingenii tenuitate de  
atrocí hoc affectu in medium proferre licuit. Pro  
concessâ vero, ad hunc laborem feliciter absolu-  
vendum, Divina gratiâ, sit

DEO TER OPTIMO MAXIMO  
LAUS, HONOR, ET GLORIA,  
IN SECULORUM  
SECUЛА!

A M E N.



Argentoratenses, Med. Diss., 6  
= Straßburg                              Eberle-Eyting

ULB Halle  
003 714 942

3



VDCA  
VD18



B.I.G.



Q. D. B. V.  
TATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE  
HITU CRUENTO  
QUAM.  
DEO TRIUNO PRÆSIDE  
EX DECRETO  
SI ORDINIS ASCLEPIADEI  
MA ARGENTORATENSIMUM  
UNIVERSITATE  
RO LICENTIA  
IN ARTE MEDICA HONORES  
PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CAPESSENDI  
NI DISQUISITIONI EXPONET  
NARDUS EDEL,  
EKLINGENSIS LOTHARINGUS.

XXXI. AUGUSTI, ANNO MDCCXLII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,  
ographia PAUSCHINGERIANA.